



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XV. Papst Gregor X. bestätigt dem Kloster Chorin alle seine Besitzungen
und Güter, am 8. Februar 1273.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

XV. Papp Gregor X. bestätigt dem Kloster Chorin alle seine Besizungen und Güter,
am 8. Februar 1273.

Gregorius, Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis Abbati et Conuentui monasterii de Corin, Cisterciensis ordinis, Brandenburgensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducat effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et locum, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis prostante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras, domos, possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursum. Datum Lugduni, VI Idus Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 411.

XVI. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad überlassen dem Kloster Chorin neun Hufen Landes im Dorfe Woltersdorf, am 5. August 1273.

In nomine sancte et Individue trinitatis amen. Johannes, Otto et Conradus, Marchiones Brandenburgenses, Omnibus in perpetuum. Que geruntur in tempore, ne simul cum tempore dilabantur, poni solent in linguis testium et scriptis autenticis perhennari, ut si necesse fuerit in futurum ex scriptis ueritas comprobetur. Hinc est quod notum esse volumus tam presentibus, quam futuris, tenore presentium publice protestantes, quod nos ecclesie sancte Marie virginis in Korin et fratribus ibidem domino deseruentibus in ordine Cisterciensi nouem mansos in villa waltertorp, sicut nos eos habuimus, cum omni potestate atque iure donauimus perpetuo proprietatis tytulo possidendos, ita quod nullus aduocatorum nostrorum, scultetorum, Budellorum aliquam iurisdictionem sibi in eisdem audeat vsurpare, sed ipsi fratres per se suosque iudices sua iudicia exerceant maiora eciam et minora et ab omni exactione et petitione et seruitio sint exempti. Ut autem hec rata et in perpetuum inconuulsa permaneant per nos nostrosque heredes nobis succedentes, Ne quoque ulli dubium super predictis futuris temporibus valeat suboriri, presentem paginam de certa nostra conscientia conscribi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Testes uero, qui presentes fuerunt, sunt nostri milites Dominus theodericus, aduocatus in Coningeburch, Johannes de Brunkow, fridericus, Marscalcus, Georgius de Brewiz et alii quam plures. Datum in waltermark, Anno domini M^o. CC^o. LXX III^o. Nonas Augusti.

Nach dem Original des Geh. Staats-Archives.

Anm. Die Urkunde gehört zu den Documenten, bei welchen es zweifelhaft ist, ob das III^o den Tag oder das Jahr der Ausstellung bezeichnet. Zwischen LXX und III^o ist jedoch kein Punkt und nach dieser Schreibart dürfte die Urkunde daher dem Jahre 1273 angehören.